



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz
Toletani è Societate Iesv**

Álvarez de Paz, Jacobo

Coloniae Agrippinae, 1615

Reverend[issi]mo, Atqve Illvstrissimo Principi Ac Domino, D Theodoro,
Ecclesiae Paderbornensis Episcopo, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)



REVEREND^{mo},
ATQVE ILLUSTRIS-
SIMO PRINCIPI AC
DOMINO,

D THEODORO,

ECCLESIAE PADER-
bornensis Episcopo, S. R. Imperij
Principi, Domino, & Fundatori
suo Clementissimo ac mu-
nificentissimo,

DOMVS PROBATIONIS
Societatis IESV Paderborn.
Felicitatem P.



VOD abste Reue-
rendissime, atque
Illustrissime Pri-
ceps hæc nostra
Probationis Do-
mus condita, per-
petuisq; vectigalibus instructa sit,
est quidem ei cum alijs quoq; exi-
mij Tui in Societatem nostram a-
moris,

* 2

moris,

EPISTOLA

moris, ac beneficię monumen-
tis, id est cum Collegio Academia-
que commune, sed hoc fortassè su-
mus deteriore fortuna, quod, cum
illa domicilia, publicis atque illu-
stribus Religionis, & Sapientię
muneribus consecrata sint, nun-
quam videatur nostris hominibus
suę in te declarandę pietatis, ido-
neus in ijs locus defuturus: nobis
verò quibus à cęterarum rerum
studio, curaque semotis, intra do-
mesticos parietes, in conforman-
dis ad virtutem animis, ponen-
disque sanctioris vitę rudimētis
otium omne consumitur, præter
vota quę pro tua incolumitate af-
fiduò facimus, nullum ferè sit reli-
ctum, quod quidem palam dare
possimus, grati atque obseruantis,
erga tam munificum Principem
ac parentem, animi documentum.
Neque deerunt fortassè nonnulli,
qui cum nos videant abesse à sug-
gestis, abstinere à liberalium do-
ctrina-

DEDICATORIA.

Strinarum Gymnasijs, carere eruditorum hominum luce, vix aspirare ad tradenda puerorum gregibus Christianæ disciplinæ rudimenta, scilicet non modò negare commédare nos eorum, qui sumptum in nos faciūt, liberalitatem, sed, instar steriliū agrorum, iacturam quoque exprobrare contendant. Quibus quidem verendū non est ne assentiaris, Princeps Sapientissime, qui satis gnarus, vt in seminibus vis inest earum rerum, quæ ex ijs progignuntur: sic in his priuatis atq; vmbra libus nostris institutionibus, eorum omnium quæ magno cum emolumento, & plausu communi in Templis, ac Lyceis geruntur, causas contineri, non minus eorum benefactorum, quorum vtilitates etiamnum inclusæ latent conscientia, quàm quorum fructus extat iam, atque eminent, gloria delectaris. Quid enim? caremus publico. Scis istuc

* 3

qui

EPISTOLA

quidem. At neque illud te fugit;
 comparari à nobis interea eas vir-
 tutes, sine quibus haud fatis tuto,
 & salubriter prodiremus. Non do-
 cemus litteras, at pietatem per o-
 tium haurimus, quam vnà cum li-
 teris teneris aliquando puerorum
 animis affundamus. non dicimus
 de superiori loco, at illis iam de
 cælo facibus exardescimus, quibus
 auditores olim studebimus inflā-
 mari. in eo denique toti elabora-
 mus assidua congressione cū Deo,
 expulsiōne vitiorum, exercitatio-
 ne virtutum, vt quascumq; partes
 in omni ætate acturi sumus, eas, vt
 præcepit Apostolorum princeps,
 sustineamus *tanquam ex virtute quã*
1. Pet. 4. administrat Deus. Vt enim telorum,
 nisi forma, atque pondere sint ad-
 vim tormenti accommodato, le-
 uior quàm pro impetus magnitu-
 tudine fit emissio: sic qui Societate
 sanctissimis institutis temperarunt,
 tametsi omnes propè ingenuas di-
 scipli-

DEDICATORIA.

sciplinas colendas & exponendas. susceperint, quia tamen in his præfidijs humanis, nisi ex diuina virtute sint apta, nullum momentum esse videbāt ad hominum animos. Deo conciliandos, & quantum quibus illis vtatur, de earum rerum studio remiserit, quæ mentes nostras cum diuina conglutinant, tantum de cælestibus animorum commodis detractum iri, nimirum neminem illis artibus tractandis idoneū iudicarunt, nisi omnibus sanctitatis officijs, diu ante ac multum domi, vsu assiduo, ac meditatione assuefactum. Hoc cū idem consilium secutus, Princeps Optime, ad publica illa sacræ, ac profanę literaturę Gymnasia hanc quoque religiosę disciplinę sedem adiunxeris, promptum nobis erat existimare, te in hoc tuo prudentissimo iudicio, nostri que instituti rationibus acquiescentem, facilè pati nullum præterea à nobis obser-

EPISTOLA

uantia testimonium vulgari, nisi magnitudo beneficij deflectere à vitæ nostræ consuetudine, & novam aliquam testificandi studij aduersum te nostri viam quærere compulisset. Erat hic libellus P. Iacobi Aluari Pacij aduectus è remotissimis oris Peruani regni, qui virtutum omnium, quæ Christianum hominem decent, vim, naturam, partes, munera accuratè persequitur; eū, quò nobis vsui esset, cum formis æneis mandare Typographus cogitaret, visum est eius vestibulum amplissimi tui in nos beneficij memoria consecrare. Quo facto profitemur, si quam harum vnquam virtutum, quarum hic forma exprimitur, partem DEI afflatu, atque ope, moderatorum disciplina, nostro labore, & industria consequi licuerit, eius tibi fructum & laudem deberi, qui tantam nobis illarum colendarum facultatem singulari
tua

DEDICATORIA.

tua in nos caritate, & munificentia præstiteris. Nam, quis non earum amore vehementius inflammetur, si cum animo suo reputauerit Illustrissimum THEODORVM, id est, Antistitem præcipuo DEI munere huic prouinciæ datum, è Furstenbergia Familia, in qua non minus illustris & antiquus est Catholicæ virtutis, quàm natalium splendor, cùm triginta ipsos & amplius annos suæ ditionis populis præclara de se omnium virtutum exempla dedisset, hoc SOCIETATI IESV virtutum domicilium fundauisse, ne qui Catholicam doctrinam atque pietatem deprauatis nuper opinionibus, atque institutis obscuratam pristino nitore restituisset, vel patriæ iuuentuti Magistros, qui pietatem cum eruditione copularent, vel Magistris ipsis palæstram in qua se ad omne genus pietatis, & virtutis exercerent, deesse pateretur. Accipe igitur

* 5. tur

EPIST. DEDICAT.

tur PRINCEPS Humanissime, qua
soles facilitate descriptam hoc li-
bello virtutum effigiem, quarum
in animis nostris cupiditatem be-
nificijs exemplisque tuis excitasti,
& fausta nos precatione prosequere,
vt in earum muneribus dili-
genter obeundis, Tuis consilijs, ac
votis morem semper geramus. Sic
DEVS Opt. Max. Tuam Illustris-
simam Cels. Ecclesie suæ diu in-
columem conseruet, & saluberri-
mas illas tuas, in quas dies & no-
ctes incumbis, pro eius salute, &
dignitate curas, cogitationes-
que fortunet. ANNO

M. DC. XV. 6 Kal.

Augusti.

INDEX